

19.

et rationabili consuetudini et Conclusioni per Universitatem Anno Domini 1714<sup>to</sup> lata et Libro Conclusionum inserta, occurrente vacatione, habito prius cum Clarissimis Dominis Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professore actu laborantem Domui et Facultati proficuum Universitati presentem, Universitasq; hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem, vocet ac à violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis abtineat. Evid enim per vim fiunt carere debent robore firmitatis. c. Ad audientiam. de his, quæ vi metusve causa fiunt.

## STATUTUM XII.

### De Examine Professoris vocati.

Sic ut præmissum est vocatus ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedra adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini Clarissimorum Doctorum Collegium actu inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, aliàs hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. c. Evoniam. et ibi gloss. v. Si sit idoneus. de Magistr.

## STATUTUM XIII.

### De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum præmittend.

Ad Collegium vocatus Professor, quamvis privatim per examen vires quid valeant, humeri quid ferre recusent monstraverit; tamen ad Cathedram et Professionem fidei sub pænâ superioribus immediatè Statutis duobus expressa, admitti non debet

bet, nisi prius publicam disputationem ex utroque Jure desumptam et per Clarissimum Dominum pro tunc Facultatis Juridicæ Decanum approbatam expediverit, aut hac de speciali favore et consensu Clarissimorum Dominorum Collegarum ad certum tempus ex aliqua causa rationabili dilata se per Principiatum ad possessionem Cathedræ admitti petierit. Qui enim honorem Cathedræ assequi desiderat, necepe est, ut vires suas, cum hoc, quod subiturus est onere metiatur. can. Non est putanda. l. q. i.

## STATUTUM XIV.

De tempore invitationis C. D. Doctorum et Professorum pro actu responsionis et requisitis ad invitationem.

Quandoquidem laborantibus proficui debeant esse labores, ad quos alacrius suscipiendos quoniam spes præmissi invitare soleat Menoch. Cons. 890. n. 43. et Lib. 7. de Præsumption. Præsumpt. fin. n. 1. ideo C. D. Doctores et Professores per Responsurum pro Collegio Professore triduo ante responsionem pro disputatione invitentur et unicuique Sorditio Typis expressa officiosè ad manus in propria ejus residentia reddatur, ac inhærendo antiquæ consuetudini unicuique Clarissimo Doctori in vim laboris, quem in disputando subiturus est, aureus Hungaricus unus, Professore vero Imperiali unus idque circa invitationem pro disputatione, jam autem Clarissimo Facultatis Juridicæ Decano circa approbationem Sorditionis duo Aurei Hungaricales sub non admissione ad Responsionem reponantur. Equum enim est laborem cujusque digna remuneratione compensari. l. Cum secundum. de Præben. et l. fin. §. Similiter. C. de Alluvionib.  
Stat.